Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 111
Quelle:
Copyright:

que teſtimonium, ſed hae voces: *hij tres unum ſunt, et tres ſunt qui*, manifeſte ſecundam manum produnt. Nec repetitur poſt terreſtre teſtimonium: *Et hi tres unum ſunt.* Ad calcem notus Index: *Hic incipiunt interpretationes nominum hebraicorum.*

L. VI. E. 25.

313 Codex membraneus lat. Sec. IX. Foliorum 224. f. luculente exaratus, rubricis diſtinctus, et bonae notae complectitur *Quatuor Evangelia.* Initium ducitur ab Epiſtola *Hieronymi* ad *Damaſum. Nouum opus me facere cogis ex uetere* &c. Sequitur *Prologulus Quattuor Euangeliorum*, id eſt, *Hieronymi* ad *Euſebium*, qui orditur: *Plures fuiſſe qui euangelia ſcribſerunt* &c. ut in *Bibliis gloſſatis.* Subjungitur absque titulo: *Euſebius carpiano fratri in domino ſalutem.* Eſt nota illa de Evangeliorum *Canonibus* Epiſtola, cujus initium: *Ammonius quidem Alexandrinus magno ſtudio atque induſtria unum nobis pro quattuor euangeliis dereliquit* &c. Itaque et illam *Canones* hi eleganter picturati excipiunt.

Matthaei Evangelium praeter Picturam ejus linearem, antecedit, ut in *Bibl. gloſſ.* Argumentum: *Mattheus ex iudea ſicut in ordine primus ponitur* &c. in quo mox ſub initium rectius legitur: *duorum principia*, ubi edita habent: *duo principia.* Argumento ſubjectum eſt *Breviarium Capitum.* Et ſic per reliquos etiam *Evangeliſtas*, in quorum omnium marginibus diligenter *Canones* Concordiae ſunt adnotati. Ad calcem litera cubitali legitur: *Explicit Evan.* et minore: *Valete in Domino ſemper.* Tum *fol.* 210. p. 2. variis characterum compendiis: *Incipit Capitulare Evangeliorum de Circulo Anni.* Initium eſt a *Natali Domini.* Poſt *Pentecoſten* numerantur Dominicae tantum VI. reliquae usque ad *Adventum* numerantur a *Natali Apoſtolorum*, S. item *Laurentii* et *Cypriani.* Hebdomadae Adventus dicuntur *ante Natalem Domini. Fol.* 222. p. 2. *Incipit Lectio Euang. de diuerſis Cauſis.* Hae ſunt: *Pro Ubertate pluuiæ, Pro ſterilitate pluuiæ, In commotione gentium, In natali papae* &c. abrumpunturque in Evang. *Pro ſalute unius Uiui.*

Pertinuit olim praeſtans hic Codex ad antiquiſſimum pene totius *Bajoariae* Coenobium *Weltenburgenſe* ſub Tetrarchia *Straubingana* non procul *Kelhemio* ad dextram *Danubii* ripam ſitum Ord. S. *Benedicti*, ut patet ex iis, quae ſolers quidam et membranae parcus Coenobita ſpatiis hinc inde vacuis adnotavit. Et quidem *fol.* 1. p. 1. *Traditiones* IV. videlicet I. *In Nomine domini Tradidit quidam vir N. Baltker ſua propria mancipia nuncupati Liuphitto et filium eius — prebtan ad ſanctum dei martirem georium in manum Hauuardi et clericorum Ea ratione vt per ſingulos annos retderent ad aram ſancti Georii martyris. V. nummos. et poſteri eius. et iſti ſunt T.* (eſtes) *per aures tracti.*